



V

SEmen Mvlieris

HOMINIBVS, SVB SERPENTIS INFERNI TYRANNIDE
GEMENTIBVS, DIVINITVS ORTVM

IPSIS DIEBV

CHRISTO NATO

SACRIS,

A. O. R. MDCCCLIII.

PRO ANIMO VENERANTVR

SCHOLÆ CATHEDRALIS NVMBVRGENSIS

ALVMNI,

ORDINI PRIMO ADSCRIPTI,

PER

CAROLVM GODOFREDVM SCHOCH,

NVMBVRGENSEM.

IMPRIMEBAT IO. GVIL. BOSSOREGELIVS, TTPQGR. FVND.

AK

63.

Virgine matre puer natus, domitorque draconis
Inferni, humanas res miseratus, ades.
Quippe impune diu tulit astus letifer hostis,
Iactauitque nimis, se superasse Deum.
Huic mala multa licet sis, exitiumque, minatus,
Vt possent animos frangere verba feros:
Ille minas spernit tamen, atque ferocius instat
Inicere audaces in TVA iura manus.
Nam, bene quae fecit TVA dextera, perdere gaudet,
Et mage quo quid amas, hoc magis odit idem.
Lumen es, et toto sparsisti lumina mundo,
Conspicuus fieres lumine ut ipse TVO.
Luminibus contra pulsis, nigrantibus vmbbris
Inuoluit terras anguis et ipse niger.
Scilicet in tenebris occultior iste latere,
Spargere et in populos dira venena, potest.
Deinde animos praua sic relligione repleuit,
Tolleret ex hominum nomen vt ore Dei.
Numinis inque locum se intruderet ipse colendum.
Sic adeo infernus nil draco frontis habet,
Et nimis exordes homines huic vota capessunt,
Hunc placant donis, sollicitantque prece,
Huic numerosa cadit passim hostia, turis acervi
Huic accenduntur, flectitur huicque genu.
Quique solent alii fieri TIBI, Numen, honores
Omnes, TE spreto, pestifer anguis habet.
Et rapuisse TIBI hos gaudet, tumidusque triumphat,
Et se majorem iam putat esse Deo.
Ah! quoties aliquis bonus, haec tibi gaudia, dixit,
Brute, diu, serpens, non habiturus eris.
Est super axe Deus, scelerum rigidissimus vltor,
Afferet ILLE sibi debita iura breui.
Suppicioque graui, dirisque angoribus, ausus
Compescet stolidos, o malesane, tuos.

Longius iste tamen grastatur, et occupat orbem,
Fraudibus innumeris, flagitiisque, suis.
Et male deceptos in cuncta piacula cogit,
His intentatum nec sinit esse nefas.

Vt placidum offendat pectus, stimuletque furorem,
Nobilisque tuum, quo mage perdat opus.
Est aliis populus tibi lectus ab omnibus vnum,
Diligis hunc populum, muneribusque beas.

Huic manifestasti miris tua numina factis,
Pandisti arcani consiliumque TVI.
Vt tibi pro meritis iustum pietatis honorem
Soleret, imperii ius coleretque TVI.

Hunc aliis peius sceleratus perdidit anguis,
Ne sinat illae sum quicquid amore foues.
Omnia corruptit, quae latus continet orbis,
Et quae deliciae cunque fuere TVAE.

Perspicis hoc, paterisque tamen, nec eolligis iram,
Nec meritas poenas poscis ab hoste TVO.
Sed nunc vocem audis, lamentaque moesta, bonorum,
Quos tibi perpaucos iam superesse vides.

Qui prece sollicita per plurima saecula vocatum,
Speratumque diu, iam properare iubent.
Rumpe moram, clamant, quid enim promissa retardas,
Rumpe moram, et sanctam respice, quae so, fidem.

Ergo audis, opiferque venis, vindexque tuorum,
Aeruminis pressi qui gemuere diu.
Nunc, astute, tuis, veterator, consule rebus,
Impendent capiti summa pericla tuo.

Saepe lacessitus tibi tandem apparuit vltor,
Quae rabies talem sic violasse virum.
Ille cruenta tibi molitur bella, fac, arma
Expedias, animi robora sume noua.
Agmina coge ferox, numerosas instrue turmas,
Vt vincat numerus quem bona causa nequit.

Auxilio veniant mors atra, et tartarus atrox,
Namque accepta tibi maxima regna ferunt.
Quaeque potest socias tibi iungere turba phalangas,
Fortia fac tecum praelia obire velint.
Nec causae ipse tuae desis, tua spicula torque,
Viperea lingua dira venena vomer.
Quid tamen efficies? infliges vulnera calcis,
Sed tibi calx eadem colla superba premet.
Quaeque fit auxilio tibi, mors deuicta iacebit,
Et perculta simul tartara nigra ruent.
Exuuiisque gemens detractis ipse triumphos
Ornabis domini, vincere tyranne, TVI.
At nos felices! ea quos victoria tristi
Soluit seruitio, restituitque Deo.
Salve! magne puer, salve! insuperabilis heros,
Salve! hominum vindex, ipse homo, et ipse Deus.
Namque potes solus stygium domuisse draconem,
Vnus tu mortis soluere vincla potes.
Urge opus inceptum, ne cessa, et semina belli
Persequere, illius nil superesse sine.
Nempe parum est vicisse hostem, vindictumque tenere:
Nec multum est colubri communuisse caput.
Semina si passim superant colubrina, valentque,
Restat et anguineo virus ab ore fluens.
Regnaque si passim sua possidet anguis, et orcus
Si posthac patulo deuorat ore TVOS.
Relliquias igitur radicitus erue damni,
Hostilis populo quod tulit hydra TVO.
Sic devota tibi sunt pectora nostra, nouasque
Nostra tibi laudes linguaque, mensque, canet.

78 M 496

ULB Halle
001 618 148

3



TA-OL

b7



63

SEmen MVLIERIS
HOMINIBVS, SVB SERPENTIS INFERNI TYRANNIDE
GEMENTIBVS, DIVINITVS ORTVM
IPSIS DIEBVS
CHRISTO NATO
SACRIS,
A. O. R. MDCC LIII.
PIO ANIMO VENERANTVR
SCHOLÆ CATHEDRALIS NVMBVRGENSIS
ALVM NI,
ORDINI PRIMO ADSCRIPTI,
PER
CAROLVM GODOFREDVM SCHOCH,
NVMBVRGENSEM.

IMPRIMEBAT IO. GVIL. BOSSOEGELIVS, TTOGR. FUND.

